



Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. IV. Causa sufficientes as malitiam venialem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

Colliges. Nullam esse obligationem abstinendi à cauta & honesta colloquutione cum mulieribus, ab equitatione, aliave simili causa, nec esse obligationem deferendi locum orationis, studii, somni, alteriusve honestæ & permissæ occupationis, neque teneri mutare corporis situm, quantumvis quis absque data sua causa venereos stimulos sentiat; siquidem prosequitur jus suum, nec adesse supponitur aliqua causa proximè, & notabiliter influens in istum effectum, qui potius ex naturali, impulsu & infirmitate provenire censetur.

§. IV.

Causa sufficientes ad malitiam venialem.

10. **CONCLUSIO TERTIA.** *Delectatio venerea præter intentionem secuta ex causa, quæ extra genus luxuriæ est culpabilis, non imputatur in grave peccatum. Ita Ant. citati.*

Ratio est: quia lex ordinariè non obligat ad vitandas causas quasunque remotas & indirectas objecti prohibiti; præsertim si effectus potius ex infirmitate naturæ, quàm à tali causa proveniat: sed causæ extra genus luxuriæ constitutæ censentur tantùm remotæ & indirectæ, & venerei motus potius ex naturæ infirmitate, quàm ex iis causis proveniunt: ergo propter ejusmodi causas carnalis impuritas in grave peccatum non imputatur: sive illæ causæ sint in suo genere venialia, ut cibus, potusque liberior; sive mortalia, ut ebrietas.

11. Nihilominus imputabitur in veniale peccatum; est enim notabilis inordinatio, naturæ proclivitati fomentum addere ad ejusmodi motus in talibus causis sequi solitos: cumque hæc passio ex sua natura sit incitativa ad malum, habeatque magnam inordinationem, studiosus puritatis conabitur, evitare causas etiam remotas & per accidens istorum motuum, si commodè vitari possint.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

12. **Objicies primò.** Quilibet tenetur vitare causam & actionem, ex qua prævidet securam pollutionem. Consequentia probatur: Non minùs pollutio est intrinsecè mala propter damnum prolis, quod per illam sequitur, quàm homicidium propter damnum & destructionem hominis: ergo par est ratio in utroque.

Respondet primò. Hoc argumento nimium probari; siquidem sequeretur, quòd sicut obligaris omittere actionem honestam, v.g. auditionem confessionis, si exinde metuas probabiliter eventurum homicidium, sic easdem actiones honestas tenearis omittere, si ex iis prævideas securam pollutionem.

Respondet secundò. Disparitatem esse, quòd damnum ex homicidio proveniens sit certum, proximum, & irreparabile, ideoque extra casum justæ defensionis in extrema necessitate nulli hominum concessum; contra effusio seminis non

proveniens ex applicatione appetitùs, sed potius à virtute expulsiiva sine voluntaria electione causæ proximæ per se influentis, non sit certum & proximum damnum prolis, ex quo suam intrinsecam malitiam deberet accipere. Unde licet nunquam intendi & queri, tamen ex rationabili causa permitti potest, ejusque occasiones & causas quasunque tollendi nulla est gravis obligatio.

Objicies secundò. In præceptis, quæ tantùm sunt juris positivi, ut jejunandi, audiendi Sacram, recitandi horas Canonicas, &c. non nisi causa necessaria à transgressione excusat: ergo à fortiori in præcepto naturali vitandi motus inordinatos concupiscentiæ non nisi causa necessaria excusetur.

Respond. primò ut priùs, hoc argumento probari, quòd esset mortale peccatum, equitare, frudere, cum prævisione istorum motuum.

Respondet secundò. Cùm isti motus ex infirmitate naturæ, voluntate & ratione nihil cooperante, facillimè insurgant, in ipsis majus voluntarium requiri, ut imputentur in peccatum, quàm requiritur ad alias transgressiones juris positivi, quæ non fiunt nisi dependentes à voluntate.

Objicies tertio. Ad voluntarium interpretativum in causa sufficit, quòd malus effectus prævideatur in causa, quam quis potest & tenetur vitare: sed ebrietas aliavæ causas peccaminosæ remotas venereæ impuritatis quilibet potest & tenetur vitare: ergo in ipsis & per ipsas venerea impuritas fit interpretativè voluntaria.

Respond. dist. maj. Sufficit, quòd malus effectus prævideatur in causa, quam quis potest & tenetur vitare debito proveniente ex præcepto prohibente talem effectum, concedo; aliunde nego. Sed ebrietatem v.g. quilibet tenetur vitare debito proveniente ex præcepto sobrietatis, concedo; ex præcepto castitatis, nego min. & consequentiam. Neque enim videtur præceptum castitatis graviter prohibere causas penitentia indirectas, & remotas impurarum commotionum, quæ proinde non statim fiunt interpretativè voluntariæ, saltem voluntario positivo & imputabili in gravem culpam.

Objicies quartò. In probabili opinione, quam artic. præced. retulimus, tenetur homo impedire exurgentes tentationes carnis, quòd si negligenter fiunt interpretativè voluntariæ: ergo etiam tenetur abstinere à causis saltem non necessariis, in quibus prævidet ejusmodi tentationes.

Respondet. Antecedens in illa probabili sententia procedere ex hypothesi, quòd illæ tentationes possint formaliter vel interpretativè fieri voluntariæ in seipsis, veluti cum ex impura phantasia naturaliter ortum trahunt, non autem cum per accidens consequuntur ad aliam causam per se proximè non influentem; tunc enim, etiam si causa non auferatur, non fiunt propriè interpretativè voluntariæ.